

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 670

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

681

P A T R I S T I C I .

682

tium: *Prophetie spiritus non semper &c. Catechesis: Psalmus quid est? Psalmus est concentus &c. Praefatio Hieronymi: Psalterium Romæ dudum positus &c. Psalmus spurius: Pusillus eram &c. Praefatum illud: Canticum psalmorum corpus sanctificat &c.* Dux de his omnibus ad Codicem praecedentem. Ipsius Operis inscriptio litera quadrata est: *In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Incipit Liber Decada Domni Augustini Aurelii A Psalmo Primo Usque Ad Quinquagesimum Primum. Divisionem in Decades posteriores a Cassiodoro sumfisse videntur; is enim primus in Prologo ad suum in *Psalmos* Commentarium de Augustino ait: quae ille in Decadas quindecim mirabiliter explicavit. Ajunt tamen Mauriani, divisionem hanc in paucis Codicibus memori. Habemus igitur in praesenti Decades V. priores, quae a splendidissima litera B (eatus) ordinantur. Ante *Ps. XV.* nescio, quid sibi velint, quae adscribo: *Ab hoc quinto decimo prescripti psalmi prius in exemplaribus habentur per numerum, id est, per heras (aeras seu Notas) uersuum, et deinceps tractatus uersuum. Ideoque qui super induci sunt, legendi sunt, licet mutato modo sunt tractatoris ab alio quodam translati. Unde ipsa ita transtulimus. Nullam certe inter antecedentia et sequentia differentiam deprehendi. Tractatus in *Ps. XXXIV.* quem tempore alicujus Concilii habitum notarunt Mauriani, nobis praenotatur: Apud tangaste, l. Tagasten. Nomi-**

*na Episcoporum Serm. II. in *Ps.* XXXVI. uti et Ecclesiarum saepe ab Editis variant. Sermo in *Ps.* XXXVIII. habitus ad mensam S. Cypriani nobis addit quarta Feria. Ad calcem Codicis habemus Orationem, quam Edita *Ps.* CL. subiungunt: Conuersi ad dominum dum patrem &c. Textus capto collationis experimento ad Editorum perfectionem non adsurgit.*

CCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3066 XII. Folior. nunc 124. f. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis, geminaque initiorum Litera picturata comitus, et olim Sanctæ Mariæ in boumgartenberg Monasterii Cisterc. superior. Austriae complectitur S. Augustini Enarrationes in *Psalmos*, et quidem a *Psalmo* CI. usque ad Sermonem 25. in *Psalmum* CXVIII. in quo abrumpitur. Rubrica prima est: *Incipit tractatus beati Augustini episcopi de titulo psalmi centesimi Primi. Nempe: Ecce unus pauper erat (orat) et non erat (orat) in silentio. Libet ergo eum audire et uidere quisnam sit &c. Ut edit. Maur. T. IV. col. 1091. sed non absunt menda, ut ipsum ostendit principium. Praeterea post fol. 49. evulsum est initium *Psalmi* CIV. usque ad verba: *velut quereremus, quomodo factum sit &c.* quae sunt edit. n. 17. Item post fol. 120. e Sermone 21. in *Psalmum* CXVIII. a verbis: *non intelligo nisi caritatem. Quid enim profuiisset — deperiit membrana**

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 670

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

683

C O D I C E S . I

684

usque ad Sermonis 22. verba: *ad earum rerum intelligentiam, quas concupuerat scire &c.* quae sunt edit. n. 8. Demum Sermo, ut supra dixi, 25. sicut in iis verbis: *que sunt in lege tua de gratia tua. ut non sit in me —* quae habentur edit. n. 5.

CCCXXVIII.

R. 3170 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 138. f. maj. per duas columnas luculente, pulcreque perscriptus, et rubricis enotatus ita insignitur: *Incipit prologus in Omelias aurelij Augustini.* Verum ne putas in omnes, post Prologum *Incipiunt omelie aurelij Augustini de psalmo centesimo. VIII^o. decimo. Homiliis XXXII.* beatus Pater hunc Psalmum, uti notum est, exposuit, atque hae omnes in Codice rite sequuntur, singulae in tres veluti Lectiones per margines divisae. Collatae cum edit. Maur. T. IV. col. 1277. non unam varietatem ab Editoribus illis præteritam obferunt. Ita v. g. in Prologo pro ejus profunditatem legunt altitudinem. In Homilia I. ut beatitudinem quaeramus pro ad beatitudinem, item deditus est, ut luxuria stuprisque corrumpatur pro deditus luxuria stuprisque corrumpitur, item voluntatem laetitiamque, pro voluptatem laetitiamque, item inimicorum sanguinem omisso fundere, item Non hac via itur illic quo pro Non illac itur qua, item itinera ista quae pro itinera ista qua &c. In fine Hom. IV. glorificabor in te pro gloriabor in te

In fine Hom. IX. exerceretur, meditaretur, precaretur, pro exercetur, meditetur, precetur. In fine Hom. X. contradicitur longitudine pro contradicitur longitudini. Atque haec probabilia delibata sufficiant ad ostendendam Exemplaris utilitatem

Fol. 71. *Incipit Explanatio sancti Augustini episcopi. In canticum graduum. Aliter. Incipit tractatus psalmi centesimi Nonidomi. Psalmos XV. a XIX. usque ad XXXIII. inscriptos Cantica Graduum totidem Enarrationibus prosecutus est Augustinus, quae T. supracit. leguntur a col. 1364. Initium est: Brevis Psalmus. et ualde utilis ad cantandum nobis. Cantatum audiuius et cantando respondimus &c. Jam haec paullo ab Editis differunt. Itaque et per decursum nonnunquam varia occurrit lectio. Sic in Psalm. XIX. qui modo in his psalmis pro quomodo in his psalmis. Ipse tibi se fecit patiendo pro Ipse tibi fecit patiendo. Sputis illitus pro Sputis illinitus. Transeuntia, hic pro Transeuntia haec. Quanta poterat pro Quantum poterat. Nam ubi ait, sive enim mente excessimus, deo, ibi statim addidit, sive temperantes sumus, uobis, pro Nam ibi ait, sive enim mente excessimus, deo, sive temperantes sumus, uobis. Nascendo et moriendo pro Nascendo et patiendo &c. Ad rō linguis aduersantium additur in margine Pöss Zungen, unde Codicem in Germania scriptum liquet. Clausula finalis habet: Explicit tractatus aurelij augustini episcoli*